



1777 21

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
PACTVM INTERRVMPENS
TESTANDI ACTVM
PACISCENTES OBLIGAT

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISEVVRGENS.

SOCIO

IN AVDTORIO IVRIDICO

DIE XXII. SEPTEMBR. ANNO MDCCCLXXVII.

DEFENDET

ERNESTVS HENRICVS FRIDERICVS
SCHVMANN

GLEINA-MISNIC.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



1271
PAGE 101
153
H. B. 1000

1272
PAGE 102
154
H. B. 1000

1273
PAGE 103
155
H. B. 1000





AN
PACTVM INTERRVMPENS
TESTANDI ACTVM PACISCENTES
O B L I G A T.

§. I.



Quos antiquissima atque antiqua habuit Roma
modos de rebus suis ferendi legem, siue fe-
cerint in Comitibus populi lege vere lata, si-
ue mancipatione per aes et libram, siue quem
demum Praetor inuenerat, dando bonorum
possessionem, ex tabulis septem testium signaculis occlu-
sis, eos demum in vnam eamque nouam formam trans-
fudit *Theodosius iunior* probante *Iac. GOTHOFREDO ad*
L. I

* 2

IV

L. I. C. Theod. de Testam. et Codic. Neque adfirmari poterit, veteres modos, quamuis in vsu forsan esse defierint ante Theodosii tempora, fuisse abrogatos a *Constantino Magno*, quod vulgo probant ex *EVSEBIO* in *Vit. Constantin. L. IV. cap. 26.* cuique opinioni calculum addidisse videmus adeo *Cuiacium* obinde ab *Euerh. OTTONE* in *Comm. ad I. §. 3. de Testam. ordinand.* notatum. Et si abrogata fuissent antiquae testamentorum formae, quae, quaeso! commouere potuissent Theodosium, ut quem ipsemet statueret testamentis modum, eum ex antiquis ciuilibus atque Praetoriis iuribus componeret. Hoc vero factum esse, nouae illae solennitates externae in testamentis ordinandis praescriptae manifesto probant.

§. II.

Non opus, ut, quas ceremonias atque solennitates statuit Theodosius huc referamus, quippe et vel leuissimum de iure expositum enchiridion eandem ordine recenser. Satis est, inter illa requisita lege praescripta hoc esse, ut *uno contextu* perficiatur testamentum, atque ut iniustum illud sit, quo perficiendo alius ad testamentum haud pertinens actus vel ab ipso testatore, vel ipsis testibus perficiatur. Ita sane in *L. 21. C. de testam.* legitur apud *THEODOSIVM*: *Sed licet alio tempore dictatum scriptumue proferatur testamentum, sufficiet uno tempore eodemque die NVLLO ACTV EXTRANEQ* interueniente testes omnes videlicet simul, nec diuersis temporibus subscribere signareque testamentum.

§. III.

§. III.

Imperator IVSTINIANVS, qui hunc Theodosianum testandi ritum praescriptum comprobavit ex antiquo iure eum deriuat. Sic enim scribit §. 3. *I. de Testam. ordin.* *Vt hoc ius tripartitum esse videatur, ut testes quidem et eorum praesentia VNO CONTEXTU, testamenti celebrandi gratia, a iure civili descendant.* Et in *L. 28. C. de testam.* ipsemet edixit: *Cum antiquitas testamenta fieri voluerit NULLO ACTU INTERVENIENTE* et huiusmodi verborum compositio non rite interpretata pene in perniciem et testamentorum processerit: sancimus in tempore, quo testamentum conditur vel codicillus nascitur vel ultima quaedam dispositio secundum pristinam observationem celebratur, (nihil enim ex ea penitus immutandum esse censemus) ea quidem, quae minime necessaria sunt, nullo procedere modo, quippe causa subtilissima proposita, ea, quae superflua sunt, minime debent intercedere. Consequimur ex his, quoties vel inter testatorem et testem, vel inter ipsos testes actus extraneus minime necessarius et superfluus interueniat, ipsum testamentum esse interruptum omnique valore destitui.

§. VI.

Sed ne dubitandi ratio adfit, vnitatem actus ex civili iure venire coniicimus ex *L. 21. §. 3. π.* *Qui testamentum facer. poss.* Scribit ULPIANVS: *Vno contextu actus testari oportet: Est autem vno contextu, nullum actum alienum testamento intermiscere, quod si aliquid pertinens ad testamentum faciat, testamentum non vitatur.* Sed quae huius iuris sit causa, adhuc dubium. HOPPIVS ad *Instit.*

§. 3. de testam. ordin. causam quaerit in eo, quod testandi actus sit legitimus, quare eum reprehendit *Euerh. Otto Comm. ad I. cit. §.* qui potius causam petit ex *ex L. 137. π. de Verb. Obligat.* argumento ducto a stipulatione addita ratione, quoniam digressio ad alia auocaret a proposito et animum argueret non satis constantem. Dubito an sit genuina et vera: potius Hoppianae primas darem, cum mancipatio, qua testamenta fiebant actus legitimus esset, nisi potius ex ratione comitiorum deducatur, in quibus sola legislatio, non alii actus curandi, vel ab eo, qui legem rogabat, vel a suffragantibus ciuibus.

§. V.

Iam ad quaestionem, cui haec species facti causam dedit: Titius testator cum perficeret testamentum ipseque atque primus secundusque testis iam subscripissent atque subsignassent testamenti tabulas subscribentibus reliquis testibus atque subsignantibus contraxit cum teste secundo, eique aedium suarum partem locauit constituta consensu mercede, ut ex omni causa perfectus existeret contractus. Mortuo Titio impugnabatur testamentum quaerela nullitatis ob eam causam, quod actu extraneo testandi actus interruptus vitiaret testamentum. Post cum testis secundus Caium interim dicamus conductae aedium partis traditionem desideraret atque heredes propterea conueniret testatoris Titii, negabant isti, locationem conductioemque validam esse, quamuis cum testatore inita sit. Quaerebatur: an heredes non teneantur, quod contractus initus vitiafferet testamentum, adeoque obinde neque obligatio contracta, neque in heredes transmissa.

§. VI.

§. VI.

Possit quidem videri, actum interruptentem valere non posse ob verba *L. 28. all. ea quidem, quae minime necessaria sunt, nullo procedere modo.* Sed haec verba non interpretanda sunt de conuentione ipsa inita, sed se referunt ad testamentum, quod in testamento perficiendo non procedant, cum illud vitient. Cum itaque illa ipsa conuentio sit quidem actus extraneus, ad testationem plane non pertinens, nulla ratio adest, cur illum actum invalidum pronunciemus, dummodo consensus et locatoris et conductoris ipsaque res non minus ac pretium certum atque determinatum fuerit. Non enim contractus obligationem perdit ex temporis, loci aut occasionis qualitate. Quid enim interest ratione contractus, vtrum ante actum testandi, an post eum, an intermedio tempore initus sit, dummodo seruata sint essentialia: nam contrahit non testator, sed locator, non cum teste, sed cum conductore; separata enim et locatoris et testatoris, imo conductoris et testis sunt functiones. Neque actus, propterea, quod alium vitiosum reddit, ipse vitatur, si in se perfectus est. Hinc dubium non est, cum locatio conductio ad heredes et locatoris et conductoris transeat, Titii heredes Caio omnino teneri.

§. VII.

Multo minus dubium esse potest, si actus contrahatur, qui extraneus dici nequit, quique testandi actum non interrumpit, qualem speciem tractat BERGERVS in *Oecon. Iur. Lib. II. Tit. IV. Thes. III.* qua quis in actu testandi simul vendebat alteri *hergewettam*, Sicuti haec *hergewettae*

VIII

tae venditio successiois ergo fiebat, atque suo modo connexa cum illis, quae praeter hergewetram in testamento ordinabantur, non solum ille actus, cum extraneus non videbatur, non vitabat testamentum, sed et ipsa hergewettae venditio valida perfectum ius in illius emtorem transferebat.

§. VIII.

Ita quoque demum comparatum erit, si praeter septem testes rogatos alii adfuerunt, qui rogati ad testimonium non erant, si inter has personas, qui quidem actum testandi audirent atque cernerent, negotium aliquod celebratum, cum inter testes referri non possent, quod rogati non essent, non solum certum est, negotium fore obligatorium, verum eorum negotium nunquam testamentum vitiosum redditurum. Lex enim, quae actus alios atque ad testationem non pertinentes improbat, de iis testibus tractat, qui rogati ad testationem intra numerum sunt, non de aliis personis, qui testandi actui quidem simul interfuerunt, nihil vero valoris testationi adferunt. Cum ratione eorum testatio non consideratur, recte et contrahunt et inuicem obligantur.



Leipzig, Diss., 1777 A-0

ULB Halle

004 568 583



3

fb
sb:




1777 21

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13



TIO
ROVERSI
ERRVMPENS
ACTVM
OBLIGAT

ORDINIS GRATIA
SIDE
ENR. BREVNING

R. IVR. NAT. ET GENT.
AR. DVISBVRGENS.

IO IVRIDICO

NNO c1510cclxxvii.

DET
CVS FRIDERICVS
IANN

ISNIC.

AE
LANGENHEMIA.